

lib. 1. Artic 8. & 9. nisi quod compilator illius largiter eo loco ineptit, dum scribit, ob causas ibi expressas Imperatorem judicari, & non gladio sed aurea securi percuti, super marginem alicuius clypei, idq; manu Palatini Rheni. Quo uno quid ineptius scribat ineptissimus?

Non alibi quam in curia.) Antea enim, quam hoc illa constitutione declararetur, cognitio talis ad Rheni fluminis ripam fieri solebat, ut ex modo allato Altahensis loco observare licet. Quo potissimum loco antiquitus negocia Imperii publica, praesertim circa Regis electionem vel depositionem, ab Electoribus expediri consuevisse, supra ad pag. 80. pluribus docuimus.

CAPUT XI.

Pag. 109. *De nobilitate.*) nomine Germanæ genti in primis amico.

A quo ut ex fonte.) Imò Baldus Oceano Principem comparat, à quo omnes liberalitates, dignitates, jurisdictiones, feuda, nobilitates, privilegia, fluunt ac refluunt, ac veluti rivi a fonte in alios derivantur, per L. 1. D. ad l. Jul. de ambitu. L. sacrilegium. C. de divers. rescript. L. 1. C. de constit. Princ. L. 1. §. cum urbem. D. de offic. præf. urb.

Ex sola virtute.) Juvenalis:

— *Nobilitas sola est atque unica Virtus.*

Pag. 110. *Vt sim posteris meis.*) Plinius Panegyrico: *Non debet deterior conditio esse eorum, qui posteros habere nobiles meruerunt, quam qui parentes habuerunt.* Solon apud Aufonium:

Pulchrius multo parari, quam creari nobilem.

Nobilitate Politica.) De nobilitatis generibus, & quæ vera sit nobilitas, extant copiosissimi tractatus Platinae, Poggii Florentini, Hieronymi Olorii, Andreae Tiraquelli.

Pag. 111. *Nostrates contradicentes.*) In quos gravissimè invehitur Cornel. Agrippa in lib. De vanitate scientiar. cap. 80. & Erasmus in Dialogis, ἰταρεὺς ἀνιωνῶ, & Ἄγαμος γάμο.

A ruralitugurio.) Socrates Alcibiaden opibus & prædiis suis nimis superbientem, ad suspensam tabulam Geographicam cum duxisset, ab ipso ut Atticam in ea quæreret, petiit. Quam cum reperisset, sua etiam prædia inspicere præcepit. Quæ cum Alcibiades nusquam

Hh. 3